Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-550740-p0001-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-550740-p0002-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-550740-p0003-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-550740-p0004-4

24.

DISSERTATIO
De
Controversâ maximè
VOTIVA EX-CLAMATIONE
EVÆ MATRIS,

Genes. cap. IV. v. 1.

קניתי איש את יהוה

Acqvisivi Virum τὸν JHOVAH:

TRACTATUS SINGULARIS,

Contra Judæos, Socinianos, Calvinianos qvosdam, & Novatores nonnullos.

Autore
M. HENRICO OPITIO,
Altenburgo-Misnico,
φιλαγαπολικογλώτῳ.

EDITIO SECUNDA.

Plaviæ, Typis Joh. Christiani Meisii,
Impensis Christoph. Enoch Buchtæ,
Anno M DC LXXII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-550740-p0006-5

EDITIO SECUNDA

M. HENRICO OLTIO

COMITE Iuliaco, SOCIETATIS CAL-

TRACTATUS SINGULARIS

DE

GRAMMATICA

VOLIVA EX-

בשם הקבוה

§. 1.

QVemadmodum docentibus veterum Hebræorum Magiſtris (a) כל הנביאים כלם לא נתנבאו אלא לימות המשיח: *Omnes omninò Prophetæ non ſunt vaticinati, niſi de diebus Meſſiæ*; ita ſemper etiam omnes V. Teſtamenti fideles nullâ de re magis fuêre ſoliciti, qvàm de iisdem diebus Magni illius SALUTARIS DEI, communis nempe generis humani Reparatoris, uti in Paradiſo ſtatim â DEO promiſſi, ita poſteà nunqvam non hominibus deſideratiſſimi. Is enim eſt, teſte Malachiâ cap. III. v. 1. הָאָדוֹן אֲשֶׁר מְבַקְּשִׁים וּמַלְאַךְ הַבְּרִית אֲשֶׁר חֲפַצְתֶּם *Dominus ille, qvem qvæſiverunt, & Angelus fœderis, qvem deſiderârunt.* Is eſt, (uti ἐμφατικωτέρως etiam in abſtracto loqvitur Proph. Haggæus Cap. II. 7.) חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם *Deſiderium omnium gentium*, qvem & jucundiſſimè μακαρίαν ἐλπίδα *ſpem illam beatam* nominat Apoſtolus *ad Tit. II. 13.* Hinc anxiè gemebundum illud Pſaltis Regii *Pſ. 14, 7. Qvis dabit è Sione SALUTEM Iſraël?* ſeu ut Megalander noſter Luth. Ach daß die Hülffe aus Zion über Iſrael käme! Hinc ardentiſ-

 ſimum

(a) *In Talmud. Maſſechet* שבת *cap. 6. Item in En Iſrael f. 65. & alibi.*

simum illud Jacobæum, Gen. 49. v. 1. *SALUTARE tuum* (Hebr. לִישׁוּעָתְךָ JESUM Tuum) *expecto, Domine!* Inde ergò læta illa Lamechi de Noacho gratulatio; Gen. 5, 29. *Hic consolabitur nos de ærumnis nostris.* Hinc denique summè Emphatica & Votiva illæ Evæ παμμητέρος nostræ Exclamatio;

POSSEDI VIRUM TÒN JHOVAH!

§. 2. Qui Locus, qvum *omninò dignus sit*, judice Helvico (b), *qvi diligenter excutiatur, qvia Testimonium luculentum præbet, qvod Eva Messiam pro vero JHOVAH habuerit*; & verò *dici satis non possit*, (teste D. Haberkornio) (c), *qvanto molimine Diabolus* NB EGREGIUM HOC TESTIMONIUM *pervertere sategerit, qvò nobis promissionem de Christo statim post lapsum factam, ut &* NB DEMONSTRATIONEM DEITATIS IPSIUS *è manibus extorqveat*, idqve famulante operâ Judæorum, aliorumqve qvorundam heterodoxorum, evidentiam literæ originariæ, citra necessitatem, è merè præsumtâ qvâdam falsâ hypothesi deferentium: Proindè operæ pretium omninò facturi videmur, si in momentosô hôc & classicô Loco, de Messiâ nostrô, rationes Controversarum utrinqve Explicationum, & applicationis hinc diversæ vel ad Kajinum, vel verius ad expectatum Messiam, probè expendamus, ad clarè demonstrandum, qvid pro ratô hîc constanter teneri possit, ne variè semper fluctuando, modò hujus, modò illius præsumtio, Scripturam reddat ἰδίας ἐπιλύσεως, qvod sanctè prohibet Apostolus *2. Petr. I. 20.* & nos ritè id cavebimus, dummodò non singula tantùm, sed & simul sumta sententiæ nostræ Argumenta (eorumqve vindicationes ab Objectionibus contrariis), æqvâ judicii lance ponderentur, in comparatione cum contrariæ sententiæ levioribus ratiunculis, earumve

Ex-

(b) *in Vindic. Loc. Script. p. 67.* (c) *Syntagm. II. Disp. VI. Thes. 54. p. 2.*

Exceptionibus à noſtris inſtantiis. Qvod dum tentamus, ſanctiſſimi Numinis favorem, devotâ mente in gratioſum advocamus auxilium: Nam qvod Arabes prudenter monent;

كَفَىٰ بِٱللَّهِ هَادِيًا

Sufficit Deus Ductor!

§. 3.

ANteqvam verò in rem præſentem veniamus, duo cumprimis nobis erunt præmittenda:

I. Ipſe *Textus Authenticus* cũ Verſionibus inſignioribus:

Ubi (1) *Fontes hoc fluunt ſenſu;*

וְהָאָדָם יָדַע אֶת־חַוָּה אִשְׁתּוֹ וַתַּהַר וַתֵּלֶד

*& peperit | Et concepit ||| uxorem ſuam Hhavva-*תֹּן *| cognovit || Et Adam*

אֶת־קַיִן וַתֹּאמֶר קָנִיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָה׃

|||| *JHOVAH* תֹּן *| Virum Acqviſivi || & dixit || Kajin-*תֹּן

(2) Sic *Targum Jonathan:* קניתי גברא ית מלאכא דיוי *Acqviſivi virum* תֹּן *Angelum JHOVAH.*

(3) *Targum verò Onkelos,* (ut Opus qvidem Anglicanum exhibet, qvanqvam Onkeli exemplaria hoc loco varient):

קָנִיתִי גֶּבֶר מִן־קֳדָם יְיָ׃ *Acqviſivi virũ à conſpectu JHOVAH.*

(4) *Verſio Samaritana,* (in defectu litt. propr. Hebraicis expreſſa): מלכת גבר מיהוה׃ *Acqviſivi hominem à JHOVAH.*

(5) *Verſio Syriaca* (ob eandem cauſam Hebraic. expreſſa): קניתי גברא למריא׃ *Acqviſivi virum DOMINUM.*

(6) *Verſio Arabica* ex Editione Anglic. Operis Πολυγλ.

قَدْ رُزِقْتُ رَجُلًا مِنْ عِنْدِ ٱللَّهِ

Jam accepi Virum à Deo, vel, *ex parte DEI.*

(7) *Versio alia Arabica* Saadiæ Gaonis, Judæi aliàs doctissimi: كسبت رجلا من الله *Acqvisivi Virum à DEO.*

(8) *Versio Persica* Tavvusi: كريم من أجل حضرت *Acqvisivi Virum à præsentia* vel *Majestate DOMINI.*

(9) *Versio LXX. Græca:* Εκτησάμην ἄνθρωπον διὰ τοῦ Θεοῦ. *Acqvisivi hominem per DEUM.*

(10) Hos *Vulgatus & Lyranus* κατὰ πόδας seqq. *Possedi Virum per DEUM.*

(11) *Arias Montanus* & aliæ pleræqve Versiones Latinæ: *Acqvisivi Virum cum DOMINO.*

(12) Münsteri & Junio-Tremelliana: *Acqvisivi Virum à Jehovah.* (Ubi tamen in Notis additur: Nisi fortè, ut Hieronymus, interpretemur; σὺν Θεῷ!

(13) *Versio Belgica:* Ick hebbe eenen Mann van de HEERE vercregen.

(14) B. Lutheri autem Versio, initiò qvidem fecit cum superioribus Versionibus: Ich habe überkommen den Mann des HERRN/qvod in Comment. ad Genes. explicatur; Den Mann GOttes/ oder mit GOTT: Sed posteà, ut δευτέραι φροντίδες σοφωτέραι, ita qvoqve correxit id in Explicatione ultimorum Davidis Vir Beatus, Fagium & Förster um in hoc secutus; Ich habe den Mann den HErren. qvomodo & hodiè rectè habet Germanica nostra Versio.

§. 4. II. *Brevis vocum Enucleatio.* Et qvidem (α) קָנִיתִי, qvod est Verbum Activum, à Rad. קָנָה *acqvisivit, possedit*, vel conjunctim *possedit acqvirendo* e. g. *labore, pretio, præmio, hæreditate*, vel etiam *generatione*, ut in nostro præsenti loco, de qvo V. *Clariss. Edmund. Castellus* (d). Qvod autem omninò sit Verbum Activum, atqve

(d) *In Opere illo splendido, nuper Londini edito Lexic. Heptaglott. p. 3374.*

atqve ſignificationem habeat tranſitivam, id ipſius paſſivum Niphal ſæpiſſimè in Scriptura S. occurrens, e.g. *Jer.32, 43.* & alibi clarè evincit. Ab hoc verbo *Kajinum* deductum, qvaſi **Emen erworbenen** ſtatuit Piſcator, & Joſephus Καῖν interpretatur κτῆσιν, teſte Clariſſ. Druſio (e); Rungius vevô, (f) *Poſſeſſionem.* Conf. *Franci Lexic. Sanct.* (g)

§. 5. (β) Voculæ אִישׁ, qvæ ſecundum diverſum poſitum diverſimodè accipitur: & *primò* qvidem *abſolutè* poſitum ſignificat *Virum, marem, ſtrenuum, Eximium.* Qvomodo & *cognomen Chriſti* eſt per Excellentiam ita dicti, ut etiam in noſtro præſenti loco *Gen. 4, 1.* nec non *Joſ.5, 13. Jer.31, 22.* (ubi tn. ejus Synon. גֶּבֶר); *Zach. 6, 12. Actor.2, 22.* utpote qvi ex obſervatione Cabbaliſtica D. Selnecceri (h) per *Raſche Theboth* humeris ſuis portat א, י, ש h. e. אֶרֶץ *Terram*, יָם *mare* & שָׁמַיִם *Cœlos*, qviqve eſt אַרְנִי *ſuſtentator* (i) יְהוָה *Dominus*, & שַׁדַּי *Omnipotens*; qvin imò, qvi eſt אָדָם *homo*, יְשׁוּעַ *JESUS* & שְׁלֹמֹה *Salomo*, ſeu *Princeps pacis*, ſine qvô JESU, nihil remanet nobis, niſi אֵשׁ *ignis & damnatio.* Auferatur enim י ex nomine אִישׁ, *nec JEHOVAM nec JESUM* habebimus, ſed merum ignem. Confer *loc. cit.*

§. 6. *Secundò: comparatè* verò nempè in Conſtructione cum aliis, iterum diverſa obtinet ſignificata; & qvidem cum *Genitivo* denotat (uti *B. Glaſſius* exprimit), (1) *Subjectum reſpectu Adjuncti vel Accidentis*, ut Ex. 4, 10. אִישׁ דְּבָרִים *Vir verborum*, i. e. Eloqvens. (2) *Adjunctum reſpectu ſubjecti*, ut *Gen. 9, 20.* Noë erat אִישׁ אֲדָמָה *Vir terræ*,

(e) *Druſ. Fragm. Veterum Interpp.* (f) *Comment. in Gen. p. 220.* (g) *Lexic. Sanct. num. III.* (h) *Append. ad libr. de voce Chald. Majmerah. & ex eô B. Gerh. Comm. h. l. it. B. Glaſſ. Philol. Sacr. lib. II. Part. I. Tr. II. Sect. III. p. 436.* (i) *ab* אָרוֹן *baſis, qvomodo & Gr.* Βασιλεὺς *à* Βάσις.

ræ, qvod Chald. Paraphr. reddit גבר פלח בארעא *Vir colens terram.* (3) *Efficientem respectu Actionis alicujus*, ut *Jud. 12, 2.* אִישׁ רִיב *Vir rixæ.* (4) *Effectum, vel potius actionis subjectum, respectu Efficientis.* ut Psal. 80, 18. *Sit manus tuæ super* אִישׁ יְמִינֶךָ *Viro dexteræ tuæ* h. e. qvem dexterâ tuâ protegis & confortas. Huc pertinet Locutio אִישׁ אֱלֹהִים *Vir DEI*, qvâ Propheta à DEO missus, & Spiritu DEI actus exprimitur *1. Reg. 13, 1, 4. Jer. 35, 4. &c.* de qvibus vid. prolix. *D. Glass. Philolog. Sacr.* (k) Verùm cum harum significationum nulla ad præsentem nostrum locum accommodari possit, (qvamvis nonnullis constructio regiminis per seqv. partic. אֶת hîc prætendatur, sed citrà rationem, ut videbimus infrà Argumento IV) relinqvitur igitur sola hîc obtinere significatio absoluta, de qvâ præced. §. 5.

§. 7. (γ) אֶת voculæ parvæ aliàs qvidem, sed in hac Controversiâ maximè momentosæ, ceu in qvâ, ejusqve legitimâ expositione, totus ferè controversi sensûs cardo vertitur. Estqve (1) *regulariter* Articulus Accusativi casus, qvem verba *Transitiva* sive *Activa* regunt, ipso etiam fatente *Pareo*, aliàs hîc contrariô nobis (l), de qvâ significatione (notante Haberkorniô, (m) *Aben Ezra* in Gen. I. אֶת *idem significare* ait, *ac rem ipsam, & qvandoqve præponi rei, qvæ est Effectum* sc. per Accusativum. (2.) Verbis autem *Passivis* junctum denotat Nominativum rei patientis. (3) At Verbo Intransitivo aut Hithpaël additum, idem valet, qvod עִם *cum* (licet freqventissimè etiam cum

(k) *Phil. Sacr. libr. III. tr. I. Can. 34. p. 122-127.* (l) *In Gen. c. 4. p. 613.*
(m) *Synt. Diss. Theol. VIII. p. 147.*

cum Hithpaël notet Accusativum. (4) *Qvando post verbum Activum inter duo Substantiva ponitur* (ut h. l.) *Accusativi semper est nota*, uti notat Dn. D. Varenius, Vir in Hebraicis versatissimus (n); qvod in hâc Controversiâ feliciter decidendâ, accuratè est observandum. (5) אֵת cum Affixis, qvando ֵ in Cholem mutat, est Articulus Accusativi Casus: Interdum tamen cum iisdem affix. notat etiam אוֹתְ *cum*; idqve communiter, qvando ֵ mutat in Chirek seqvente Dagesch. Et (6) Deniqve cum מ præfixô, idem qvod מ simplex notat. Et si qvæ adhuc aliæ specialissimæ dantur significationes. Qvæ omnia Exemplis comprobare, prolixiùs foret qvàm præsens instituti nostri ratio permittit. Qvare Lectorem B. remittimus ad Hebraistas Celeberrimos, *Edmund. Castellum* (o), *Gatalerum* (p), *Schindlerum* (q), & Dn. D. *Wasmuthum*, Præceptorem nostrum Venerandum in *Hebraism. Restituto* (r), nec non *B. Glassium* nostrum (s).

§. 8. His ita expositis, restat vox ultima יְהוָה, magnum illud שם המפורש, & proprium DEI nomen; qvod eandem etiam ob causam in superiùs allegatis Versionibus, non per Appellativum DOMINUM reddidimus, sed ipsum retinendum duximus Nomen Proprium *JHOVAH*. Idqve cùm Syntacticè hîc cohæreat cum particula אֵת, & qvidem post aliud nomen Substantivum (nempè אִישׁ) constructum cum præcedente Verbô Activô, exindè evidenter concludimus, *illud omninò h. l. per appositionem in casu Accusativo esse reddendum*, sec. præced. §. 7. n. 4.

§. 9. Qvod Accentum ֒ *Tiphcham* attinet penes Substantivum אִישׁ, emphaticè ibi potiùs sensum augen-

B tem

(n) *Comment. in Gen. p. 393.* (o) *Lexic. Heptaglott. p. 247.* (p) *Cinnô suô eruditiss. scriptô, p. 154. 156.* (q) *Lexic. Pentagl. p. 138.* (r) *Hebr. restitut. p. 290. fin. & 293. med.* (s) *Philol. Sacr. Lib. III. tr. VI. Can. 16. n. 3. & Can. 18.*

tem, qvam distinctivè dirimentem, de eo infrà dispicie-
mus in Argumentô V.

Qvantus enim Accentuationis Biblicæ tùm Emphaticæ tùm distinctivæ usus sit in Interpretativâ Sacrâ, Exemplis non minus luculentis ostendunt *Vindiciæ* Pl. Rev. nostri Dn. D. Wasmuthi *Part. II.* qvam certitudinem & evidentiam ejusdem Doctrinæ, ipsius *Institutio Accentuatoria* nostro demum ævo per DEI gratiam extulit, tot seculorum antè conatibus frustrà indagatam.

§. 10.

OStensô igitur hactenus singularum Vocum sensu, nexu atqve ordine, rem ipsam porrò aggredimur: ubi confidimus, assertam nobis illam ritè fluere Versionem, qvod verba אִישׁ אֵת יְהוָה signent *unam Personam* seu *idem Individuum*; ita ut Eva pariens Kajinum, reverà crediderit, hunc fore ILLUD (in Paradiso promissum) *SEMEN MULIERIS* seu *MESSIAM*, qvi futurus sit *MAGNUS* ille JHOVAH, contriturus serpenti Diabolo caput, atqve adeò *fidei suæ ediderit Confessionem* de MESSIA (saltem in thesi, licet minùs rectè in hypothesi); eundem vocans (1) אִישׁ *Humanitatem* ipsius indigitans; (2) יְהוָה *Divinitatem* ejus professa; atqve (3) adhibens voculam אֵת notam *Accusativi* casus, qvâ posterius (יְהוָה) priori per appositionem unit, atqve *Unitatem Personæ* clarissimè nobis exponit, docente B. Lutherô (†) & Dn. D. Mullero (*)

§. 11. Et ne sententiam hanc nostram ἀδορυφόητως produxisse videamur, sex cumprimis eam muniemus Argumentorum præsidiis. Et qvidem:

Argumentô I.

Evincit illud *Expressæ literæ Originariæ tenor*, uti

(†) *Tom. 8. Jen. Germ. p. 157-158. qvæ vid. infr. §. 19.* (*) *in Judaism. p. 121.*

uti proprius, ex seſe planiſſimus & ſimpliciſſimus, ſic *perpetuis parallelis conformis*, qvem proinde confirmare licet,

(1) *Ex inductione prorſus ſimilium Locorum Scripturæ S.* ſimilem Vocum poſitum, ſimilemqve Accentuationem habentium; ut:

Ezech. 4, 1. וְחַקּוֹתָ עָלֶיהָ עִיר אֶת־יְרוּשָׁלָ͏ִם׃

|||Jeruſalem--τὴν || Urbē |ſuper eâ Et exarabis

Ubi pariter (1) eſt Verbum Activum חַקּוֹתָ *Exarabis, Inſculpes*, (qvod reſpondet verbo Activo קָנִיתִי in noſtro textu). (2) Nomini אִישׁ reſpondet Nomen עִיר *Urbem*. (3) אֶת־יְרוּשָׁלָ͏ִם׃ *τὴν Jeruſalem* reſpondet noſtro אֶת־יְהוָה *τὸν* JHOVAH, (Particulâ עָלֶיהָ nihil prorſus turbante). Sic

Jer. 17, 13. עָזְבוּ מְקוֹר מַיִם־חַיִּים אֶת־יְהוָה׃

|||JHOVAH τὸν || viventium-aqvarum fontem |Dereliqverunt

Ubi iterum (1) Activum עָזְבוּ *dereliqverunt*, reſpondet noſtro קָנִיתִי; (2) Voces illæ מְקוֹר מַיִם־חַיִּים *fontem aqvarum viventiũ* reſpondet noſtro nomini אִישׁ; (3) אֶת־יְהוָה *τὸν JHOVAH*, noſtro אֶת־יְהוָה, ut ita אֶת utrobiqve poſteriori tantùm præponatur nomini. Sic ratione Accentuum; qvemadmodum ibi in אִישׁ, ita hîc in vocibus מְקוֹר מַיִם־חַיִּים eſt ֫ *Tiphcha*: In יהוה utrobiqve eſt Silluk: In voce קָנִיתִי hîc eſt ֪ *Merca*; in עָזְבוּ verò ֬ *Tbhir*, propter Accuſativum priorem pluribus vocibus conſtantem: Si enim is una voce conſtitiſſet, pariter in עָזְבוּ fuiſſet *Merca*, ut Accentuatio clariſſimè id demonſtrat; de qvo citata modô *Dn. D. Waſmuthi Inſtit. Accent.* (t) Sic ex multis aliis clariſſimus locus, & huic noſtro prorſus parallelus habetur,

Gen. 26, 34. וַיִּקַּח אִשָּׁה אֶת־יְהוּדִית

|||Juditham - τὴν | Uxorem Et accepit

 Sic

(t) *Reg. IV. M. III.*

Sic *Gen. 6, 10. 1. Reg. 11, 14. & 1. Reg. 11, 21.* & alibi sæpiùs: ubi in omnibus locis vel eadem, vel planè similis, est vocum & particulæ אֵת dispositio, eadem igitur ex Accentuatione Constructio & interpretatio.

§. 12. Inde ergò cadit omne adversæ sententiæ fundamentum, qvô ipsorum Expositio, *Acqvisivi Virum cum* vel *à* DOMINO, & reliqvæ erroneæ, videntur inniti: uti & alterum illud tam erroneum, qvam iniqvum postulatum, *qvod penes alterum etiam Substantivum, (nimirum* אִישׁ*) debuisset particula* אֵת *existere, aut saltem cum* ה *Emphaticô reqvireretur, si nostra obtineret sententia*; ceu citra rationem imò reclamantibus tot superiùs adductis Exemplis, acriter & temerè nimis contendit *Cl. Drusius*, & ex illo non minùs duriter *Cl. Rivetus* (u), qvi tamen in hôc ipsô à suomet Sixtino meritò refutantur (x); de qvô verò infrà Argumentô V. exactiùs constabit.

§. 13. Cæterùm, si adeò placent contrariæ sententiæ fautoribus ejusmodi Exempla, qvæ desideratô modô geminum habent אֵת; adducemus & illa, atqve videbimus, annon pro nobis potiùs militet in iisdem, concessa nobis ultrò ab ipsimet *appositio* per Accusativum; nihil tollente vel ponente in re priori אֵת, ceu manifestus prodit verborum sensus,

Gen. 22, 2. קַח־נָא אֶת־בִּנְךָ אֶת־יְחִידְךָ
Unicum tuum-τὸν Filium tuum-τὸν nunc Cape

2. Sam. 3, 14. תְּנָה אֶת־אִשְׁתִּי אֶת־מִיכַל
Michal-τὴν Uxorem meam-τὴν Da

Sic *Gen. 22, 16. c. 48, 1. Jos. 24, 3. Jud. 3, 28. 1. Sam. 15, 18. 2. Sam. 7, 7. c. 14, 21. c. 24, 4. 2. Paral. 13, 9. Ps. 147, 11. Jer. 32. 21.* nullo iterum dando verè contrario Exemplo.

(u) *Exercit. 42. in Gen. p. 169. col. 2.* (x) *Antib. B. p. 235.*

§. 14. Ac-

§. 14. Accedit, qvod particula את in hac significatione Accusativi utrinqve indubitatò usurpatur in versiculo præcedentis Capitis tertii ultimô, *qvatuor* distinctis *vicibus*, *bis* in præsenti nostro versu 1. c. 4. *bis* qvoq; in seqventi versu secundô, adeoq; sic *octies* in tribus versiculis immediatè se conseqventibus (y). Qvin imò particulam hanc (את) à primo Genes. capite usq; ad nostrum præsentem locum *tricies novies*, & *tricies octies* post eundem, adeoqve *septuagies septies* occurrentem, usqve ad caput 5. inclusivè, & qvidem in eâdem significatione (Accusativi), ne semel qvidem aliter reddendam observavimus. Qvi ergo h.l. adeò citò, tàm detortam & insolentem significationem, qvamvis etiam cum verbo Activo constructa, assumeret? Dubium igitur restat planè nullum, qvin hanc ipsam suam significationem etiam hoc locô qvasi intermediô constanter retineat, reddiq; hic debeat את יהוה τὸν κύριον, ILLUMqve JEHOVAH, qvi ut serpentem in Paradiso confecerat maledictione, sic Parentes nostros consolatione refecerat.

§. 15. Unde vel hoc solum Argumentum (licet *Grammaticale* tantum à Pareo & Riveto elevatum, de qvô tamen infr. Argumentô V.) sufficeret ad sententiam nostram probandam, qvamdiu literalis sensus planissimus & tritissimus prævalere meritò debet, tortô & omnibus Exemplis repugnante. Cumprimis verò cùm *nec causam ullam idoneam hactenus reddere potuerint adversarii, cur recedant hîc à verbis clarissimis, ipsisq;, qvod dicitur, Solis radiis scriptis*, αὐτολεξεὶ θεάνθρωπον, *DEUM hominem, vel VIRUM DOMINUM exhibentibus*, ut loqvitur Magnus noster Calovius (z) &, *ulterius vide debitur infra Argum. IV. & V.*

(y) Ipso Pellicano Calviniano sic argumentante in Gen. 4. cujus verba videbimus infra §. 26. (z) Tr. de Fide Veter. p. 54.

Argumentô II.

§. 16. Probat idem *Contextus* hujus cum *præcedentibus*, non minùs qvàm *seqventibus*, commoda *Cohærentia* & συνάφεια: qvæ in eo consistit, qvod Eva in summè calamitosum peccati & æternæ damnationis statum è summâ suâ felicitate dejecta, promissionem statim in Paradisô acceperit de *SEMINE MULIERIS caput serpentis conteriturô*, ipsamq; ex hoc miserabili statu liberaturô; qvodqve proinde non perfunctoriè aut obiter tàm gravem tulerit casum; sed perpetuis hinc afflictata doloribus, & anxia animi, *è qvavis occasione, impletionem promissi seminis Mulieris contrituri Satanam*, & ipsam liberaturi, solicitè prorsus prospectârit. Unde ex scito Hæbræorum פה או הלשון שליח הלב *Os & lingva sunt nuncius cordis*, (qvod & Salvatori nostro usurpatur, *Matth. 12, 34. Ex abundantia cordis loqvitur Os*); Eva nacta filium, non diu deliberat *de sensu promissi seminis mulieris*, an hæc *Virgo* vel *Uxor* futura esset, *qvod nec ita præcisè eam tunc qvidem cogitasse*, rectè ait B. Gerhard. (b) sed erumpit statim præceps voti; *Acqvisivi!* (En! habeo), *Semen* contriturum serpentem: vel, ut B. Lutheri Glossa marginalis habet: Ey GOTT sey gelobet / da habe ich den HERRN / den Mann / den Saamen / der den Satan oder Schlangen den Kopff zertretten soll / der wirds thun: ceu & nomen illud איש *Vir*, deinceps etiam in Script. freqventissimè de Messia usurpatum est, ut vidimus suprà §. 5.

§. 17. Igitur è monito Pelargi (c) *Non ita* παρέργως *aspiciendus est vehemens affectus, & summum in Eva desiderium, Messiæ promissi seminis; qvia NB hæc una Consolatio erat*

(b) *Comment. in Gen. p. 129.* (c) *in Notis ad h. l. p. 99.*

rat proposita, qvam fide amplexa illa, se matrem tàm beatam esse, suumq; filium primogenitum, tantô cum gaudiô excipit &c. Nam qvod rectè ait Dn. D. Walther.(d) *Promissio Prot-Evangelica talis revera fuit conditionis, ut* NB *omnem suam spem & fiduciam primi Parentes in eâ post DEUM unicè collocârint, &* NB *de illa locuti sint, qvotiescunq; aliqva gaudendi Occasio se ipsis obtulerit.* Qvod etiam confirmat consimilis desiderii ardor in Lamecho Noæ Parente, qvi simul ac natus ei erat filius Noah, pari gaudio erupit זֶה יְנַחֲמֵנוּ מִמַּעֲשֵׂנוּ *Hic consolabitur nos de ærumnis nostris, Gen. 5, 29.* Qvin ipsam iterum Evam, è simili occasione nati alterius filii *Sethi*, de eodem denuò exultâsse, nonnuli statuunt ex eodem *Cap. Vers. 25.* qvod *aliud ei Deus Semen posuerit.* Qvod *Semen* vel ipse R. Tanhuma, de Rege Messiâ ab Eva intellectô explicat ad Vers. hunc 25. & qvidem his verbis; *Semen pro Habel est, qvod venturum est ex alio loco. Et qvodnam est illud Semen? Est Rex Messias.* Sic rursum ad *Gen. 19, 32.* dixit R. Tanhuma: *Non hîc scriptum est, vivificemus ex Patre nostro filium, sed semen. Illud sc. Semen, qvod erit veniens de alio loco: Et qvodnam illud est? Est Rex Messias,* uti allegat Dn. D. Walth. (e) Qvæ loca cum ejusdem tenoris sint cum hoc nostro, eôdem hic cum illis modô est intelligendus.

§. 18. Eqvibus omnibus luculentissimè apparet certa & evidens ratio atqve occasio, (certè nulla alia *evidentior* ostendi potest), qvî ad illud votivum effatum impulsa fuerit Eva; è qvâ (*Occasione sc. dicti*) *dictorum intelligentiam rectissimè sumi*, communis semper *Regula hermeneutica* fuit. Et ex his etiam liqvidò apparere putamus, vanitatem illius Objectionis *de Errore Matris Evæ*, de qvo infrà prolixiùs Argumento V.

§. 20. Con-

(d) *in Officin. Bibl. p. 676.* (e) *ibid. p. 68.*

§. 19. Concludimus ergò hoc Argumentum noſtrum Idum, verbis auro & cedro inſcribi digniſſimis Viri θεηλάτῳ B Lutheri, (f) qvibus circumſtantiæ ferè omnes Exclamationem hanc in tali ſenſu evincentes exponuntur; Solchen Verſtand/daß des Weibes Saame müſſe GOtt ſeyn/ der dem Teuffel den Kopff zutretten ſoll/ hat auch Adam und Heva gehabt. Denn Gen. 4. da Heva Cain gebohren hatte/dachte ſie vielleicht/weil das der Erſtgebohrne Menſch auf Erden were/ es würde der beſte ſeyn/ und meynet/ er würde der Saame des Weibes ſeyn/ ſie aber die Mutter oder das Weib/ darumb ſpricht ſie/ ich hab den Mann den HErrn/ als wolt ſie ſagen/ das wird der Mann der Herr ſeyn/davon Gott geredet hat/des Weibes Saame ꝛc. Nennet das Kind einen Mann und Herrn oder GOtt/dann hie ſtehet der groſſe und eigene Name Gottes JEHOVAH, der nichts anders bedeutet/ denn allein GOTT ſelbſt in ſeiner Natur oder Weſen/und *Iſch*, welches wo es allein ſtehet ohn ein Weib/heißt es nicht ein ſchlecht Mannsbilde/ wie alle Männer ſind/ ſondern ein Außbund und fürnehmlichen Mann/ wie wir Deutſchen auch ſagen/ das iſt ein Mann/ das wird ein Mann werden/ Alſo wil Heva hie/ Ich habe einen Sohn gebohren/der wird ein Mann werden/ja er iſt der Mann GOtt ſelbſt/ ders thun ſoll/ und die Schlange zertretten/ wie GOtt uns geredet hat. Wie iſts müglich NB? wie ſolts ihr einfallen? von ihrem Kinde alſo zu reden; Ich habe den Mann den HErrn/ wo ſie nicht den Spruch alſo verſtanden hette/ daß des Weibes Saame müſſe GOtt ſeyn/ders thun ſolte/was GOtt geredt hatte? Sie wirds auch nicht allein ſo verſtanden haben/ ſondern Adam wird mit ihr lang zuvor geredt/uñ dieſen Spruch wohl untereinander geübt und ſich getröſtet haben/ wider die Sünde und den Todt/ſo durch dieſen Saamen ſolte weggenommen/dafür die verlohrnen Unſchuld uñ Leben wiederbracht werdē/ſonſt werē ſie verzweiffelt. So iſt auch Gottes wille noch weis

(f) *ex ult. David. quæ habentur Tom. 8. Jen. Germ. p. 157. 158.* ſe nicht/

nicht/daß seyn eusserlich Wort (wie diß ist) solte vergeblich geredt und von niemand verstanden werden/wie er spricht Esa. 55. Mein Wort sol nicht leer wieder zu mir kommen/sondern außrichten/dazu ichs sende. Nun waren alhie allein zwey Menschen/Adam und Heva/die es verstehen kundten/darumb haben sie es müssen fruchtbarlich/ seeligklich und recht verstanden haben/aller Ding NB. wie wirs Christen/und zuvor alle Propheten verstanden haben. Darin feilet die liebe elende Mutter Heva/daß sie wehnet/sie sey das Weib/ weil kein ander Weib auff Erden ist/dann sie allein/und für grosser Begierde und Verlangen hoffet sie/ihr Sohn solle der Saame/ NB. der Mann Jehova seyn/das ist zu frühe und zu sehr geeilet/ aber NB ist nicht drumb zuverdencken/daß sie der Sünden und Todts/das ist/ deß Teuffels gern bald loß were.

Argumentum III.

§. 20. Confirmant idem *Autoritates* (1) *Vetustissimi Interpretis Chaldæi* s. *Targum Jonathæ*, qvi non solùm disertè id nobis præstruit, *Evam fuisse* חמירא לסלאכא *desiderantem illius Angeli*, adeóqve confirmat nobis *occasionem* illius dicti (*è qvâ intelligentiam ejus* omnium rectissimè *peti*, è trito diverbio superiùs monuimus); sed etiam illum *sensum Accusativi* disertè exprimit h. v. קניתי לגברא ית מלכא דיי *Acqvisivi Virum* τὸν *Angelum Domini*, qvomodo sæpiùs, ut *Esa. 63, 9. & Mal. 3, 1.* Messiam in V. T. appellari notum est. Sic & Manuscripta qvædam Versio Syra (*), qvin imò Syra communis, (ל in לגברא tàm Accusativum qvàm Dativum notante, testibus Buxt. & Beveridg. ut infr. videbimus Arg. V.): aliorumqve plurium Interpretum, (qvos citat Dn. D. Calovius) (g), Consensus pro eâdem nostrâ stat expositione per Accusativum את־יהוה τὸν *Jehovah*.

(*) *allegante Vener. D. Calovio Tract. de Fid. Vet. p. 56.* (g) *ibid.*

§. 21. (2) *Caballistæ* autem tantùm abest, hunc (prò Messiâ θεανθρώπῳ facientem) sensum primis parentibus prorsus abrogent, ut potiùs eundem, more ipsorum Cabballistico in ipsis expressum observet Reuchlinus, *lib. 1. Cabbalæ*, allegantibus Autoribus Clariss. Dn. D. Waltherο (h), Venerandô nostrô D. Caloviô (i), nec non D. Haberkorniô (k); qvin imò ipsô Conradô Pellicano referente, & ex eô Pareô (l), acerrimô aliàs hîc Autagonistâ, aliisqve pluribus.

§. 22. (3) *Christianorum* verò *Doctorum*, imprimis γνησίως *Lutheranorum* omnium *Consensus* hîc tantus est, ut mirum sit, qvî nonnulli adhuc constanter contrarium tueri præsumant; qvibus meritò illud Dn. D. Mülleri (m) hic ingeremus; Alhier entstehet ein grosser Streit zwischen Juden und Christen/ob das Wort יְהוָה gehöre zum Wörtlein אִישׁ, und es die Meinung habe/daß Eva den Mann/den sie vermeynete gebohren zu haben/für dem JEHOVAM und warhafftigen GOTT/und also für dem warhafftigen Meßiâ am gehalten? Die Juden sagen Nein/wir Christen sagen Ja: Qvô summi Theologi judiciô, generale hoc qvoddam dissensûs Judæos inter & Christianos, symbolum qvasi exîstit, è dicti hujus negatâ, aut affirmatâ nobis, interpretatione. Pro eodem ergò sensu nostro graviter qvoqve Megalander noster Lutherus (n); Ich weiß fürwar/wenn die ärgesten Jüden/die Christum gecreutziget haben/oder noch ärger weren/glauben könten/oder müßten (ohne Glauben) die Warheit der Sprachen sonst bekennen/so würden sie also sagen: Ja ihr verfluchten Gotzen/wenn das wahr wäre/daß des Weibes

(h) *Offic. Bibl. pag. 584. & 678.* (i) *l. c. p. 55.* (k) *Syntagm. II. Disp. VIII. p. 147.* (l) *in Gen. 4. p. 616.* (m) *Judaism. p. 123.* (n) *Tom. IIX. Jen. Germ. lib. de noviss. Verb. David. f. 158.*

bes Saame GOTT und Mensch were / so wüsten wir selbst wol/daß der Text sich aus der massen fein darauff reimet/ denn Eva spricht: Ich habe den Mann gekriegt den JEHOVAH/ und bekennen frey / daß die Sprache NB gern und fein gebet/ daß dieser Sohn der Mann/ und GOtt der HErr wäre. -- -- Ja auff diese Weise müßten die bösen Leute bekennen: Aber nun sie nicht leyden können / daß GOtt Mensch sey gebohren von einen Weibes Bilde / NB muß dieser Text und die gantze Schrifft unrecht haben,/ oder von Ihnen eine andere Nasen machen lassen.

Pergit ibid. Vir Divinus: Eben also müssen auch NB alle andere Ebraisten bekennen / wenn sie den Text recht ansehen/ und halten/daß dieser Weibes-Saamen JEHOVAH, das ist/ GOtt und Mensch sey. Denn daß dis Wörtlein *Eth* heisse den oder die/und ein *Nota Accusativi* sey/ das ist NB überweset/überzeuget/und bekandt von NB allen Ebraisten/Juden und Christen/in allen *Grammaticen, &c: &c.*

§. 32. Cum hoc Heröe nostro, & post eum, in aeram descenderunt semper pro eâdem hâc sententiâ contra hostes veritatis seriò pugnantes, tùm vetustiores, ut *Joh. Brentius, Urb. Rhegius, David Chytræus, Nicol. Selneccerus, Osiander uterqve, Polycarpus Lyserus, Salomon Gesnerus, David Rungius*, cujus imprimis hæc sunt verba (o); *Eva dicens, Acqvisivi Virum τὸν DOMINUM, opinatur hunc filium fore istum Virum contritorem serpentis, & JHOVAM promissum: Ita fidem suam testatur, & qvomodo promissionem Evangelii de seminis promissi personâ & officio intellexerit, subindeqve ejus memor fuerit:* tùm recentiores, ut *Ægydius Hunnius* (p), qvi acriter refellit *Calvinum*, (qvod B. Lutheri

(o) *Comment. in Gen. 221.* (p) *Prælect. in Genes. p. 121-122. it. in Calvin. Judaiz. p. 13. seqq. Sic in Anti-Pareo. 156-159.*

nostri versionem Ironicè *NIMIS SUBTILEM* hîc salutet, cùm ipse *NIMIS CRASSAM* nobis offerat), & *Pareum* ejus hyperaspistem, qvem deindè ampliùs unà cum Calvinô suô prostravit *Dn. D. Christoph. Helvicus, in desiderio suo Matris Evæ*, (ut qvô illos omnes ex professo impugnavit (*); item *Dn. D. Waltherus*, (q) qvi Rivetum (r) multa hîc nobis obvertentem fortiter repulit; & alii Theologi nostri ὁμοθυμαδὸν nobis consentientes, imprimis Viri Beati, *D. Gerhardus*, (s) & *Glassius* (t); nec non magnus noster *Calovius* (u), *Dn. D. Müllerus* (x), *D. Varenius* (y), aliiqve Philologi Celeberrimi cum *Marino Brix. Avenario, Förstero* & *Schindlero* Hebraicè doctissimis, in Lexicis suis; qvos omnes eandem sententiam propugnantes, αὐτολεξεὶ huc citare præsentium pagellarum angustia non permittit.

§. 24. Omittere tamen non possumus, qvin ipsum etiam *Paulum Fagium* cumprimis verò *Pellicanum*, (*Calvinianæ* licet professionis aliàs) adducamus; qvorum ille in Paraphr. Chaldaic. sic verba enarrat: *Acqvisivi Virum ipsum DOMINUM, sive qvi est DOMINUS, qvem scil. pollicitus est mihi DOMINUS, cum dixit, semen tuum conteret caput serpenti*: Hujus verò, (Pellicani, qvem Pareus *doctissimum interpretem* appellat), hæc sunt verba (z); *Etsi -- -- dubitari tamen neqvit*, (particul. את) *freqventer & qvasi semper. articulum esse Accusativi Casus: cùm enim qvinqvies scribatur duobus his versibus, & qvater articulatè sit qvarti casus, & IPSUM significet, non erit irrationale, si etiam qvinto loco pro eodem*

(*) *qvem Tractatum accuratè & judiciosè excerpsit Cl. Polus, in Synopsi Criticorum Anglicanorum Vol. I. part. 1. p. 52. 53.* (q) *Offic. Bibl. pag. 679. 685.* (r) *Exerc. 42.* (s) *Comm. in Genes.* (t) *Philolog. Sacr. Lib. III. Tr. III. Can. 46. n. 2. p. 370.* (u) *Tr. de Fide Vet. p. 53-57.* (x) *Judaismo cap. 3. p. 121. 127.* (y) *Comment. in Gen. à p. 392-397.* (z) *Explic. in Loc. Gen. 4.*

eodem capiatur, ut ſit ſenſus: Adam cognovit IPSAM EVAM. Eva genuit IPSUM Kajinum. Iterum genuit IPSUM Fratrem illum, IPSUM *Abel; ſic liceat dicere: Poſſedi Hominem ipſum* DEUM.

§. 25. Poſſemus & plures vel Calvinianos ipſos, è Venerando Calovio noſtro adducere (ut *Toſſanum* in Bibl. *Autores Belgicæ Verſionis* in Notis, *Conſtant. L' Empereur, Ludov. de Dieu* &c. nec non Clar. *Polum* (a) hîc nobis non abnuentes), niſi vim potiùs, qvam fidem, tantô Autorum numerô, facturi videremur. Interim nihil dubitamus, qvin ſi qvis Argumenta noſtra cum Adverſariorum perpetuâ *fluctuatione & conflictu*, cumqve *Rationum & Autoritatum* eorundem *Infirmitate* atqve ſententiæ inſuper *Periculoſitate*, accuratè contulerit, deprehenſurus ſit ὀφθαλμοφανερῶς, illos meris conjecturis, contra rectioris ſententiæ evidentiſſima, ut ſperamus, & ἀναντίῤῥητα Argumenta fruſtrà luctari.

Argumentum IV.

§. 26. Prodit idem *Contradicentium* ipſorummet perpetua *Fluctuatio* & *Colliſio*. Qvod indicium eſt rei ſuſpectæ plerumqve, (non rarò prorſus falſæ); prout ſolent ſibi nunqvam conſtare, qvæ veritatem oppugnant. Cùm enim ex ſcitô Hebræorum (b) אמת יש לו רגלים *Veritas habeat pedes duos*, adeóqve ſtet firma: hæc contrà Errantium fluctuans falſitas, tot claudicat pedibus, ut ne unô qvidem rectè incedat. Alii namqve obtendunt Partic. את h. l. eſſe notam *Genitivi*, alii *Dativi*, alii verò *Ablativi*; ut vix à *Nominativo* & *Vocativo* ſibi temperent, modò ut *Accuſativum* non admittant. Sunt alii, qvi את־יהוה exponendum eſſe volunt per *A, Ex, De, JEHOVAH*, alii *Per JEHOVAM*, alii *Cum JEHOVAH*, atqve iterum alii

(a) *in Synopſi Criticæ Selectæ p. 59.* (b) *Schab. f. 106.*

alii per *Cum* notante *societatem*, alii per *Cum causæ adjuvantis*. Alii cautiores *Ellipsin* hîc qværunt partic. מִן vel מֵן; alii אֵת pro אֶל positum volunt; alii aliter exponendum esse litigant. Ut meritò de his, qvod *Dn. D. Müllerus* de Judæis, dicere possis (c) **Und wissen nicht / wo sie mit dem** Eth-Jehovah **hinaus sollen:** qvodqve *B. Lutherus* de Rabbinis ad hunc ipsum locum (d); **Sie zweiffeln / æqvivociren / tappen und suchen / wie ein ungelehrter Organist die Claves der Orgelpfeiffen suchet / und fragt: bistus? bistus?**

§. 27. Anteqvam verò hasce fluctuationes omnes penitiùs excutiamus, atqve eas, qvas texunt, aranearum telas retexamus, necessariò cum *Dn. D. Varenio* (e) præmonendum ducimus, *frustrà hîc ab adversâ parte cumulari Exempla & loca, ubi particula* אֵת *notet* vel *cum*, vel *à*, *ex*, *de*, *per*, vel *ad*, *in*, & si qvod simile istis: sed nec adeò opus esse, *cumulari ab alterâ* (nostrâ) *parte Loca, in qvibus* אֵת *sit nota Accusativi; cum utrumqve innumerabilibus Exemplis stabiliri possit.* Sed dicimus, particulam hanc (præter cætera Argumenta), ex vocum hujus loci positu & structurâ discernendam esse, & exinde judicandam interpretationem hujus loci. *Dandum nimirum Exemplum, ubi in tali, qvalis hîc est, vocum positu, particula* אֵת *per cum, à, de, ex* vel *per, reddi necessariò debeat, maximè in conjunctione cum Nomine gloriosô.* Qvô solô ferè ritè observatô, omnes adversæ sententiæ rationes & objectiones suâmet lubricitate ultrò cadunt.

§. 28. *Nec est*, qvod hîc obvertant nobis, iniqvum id esse reqvisitum, ut dent Exemplum adeò per omnia simile, cùm sic vel קְנִיתִי etiam in eâdem personâ, numerô, & positu

(c) *Judaism. p. 127.* (d) *Luth. loc. super. cit.* (e) *Comment. in Gen. p. 159.*

ſitu cum אֵת deſiderari poſſit. *Reſpondemus* enim, ſi illud qvidem reqvirerem⁹, non *ſimile* aut *parallelum*, ſed *idem* urgeremus, & ſic κεινόμενον. Attamen ad obtinendum, qvem qvis contendit, ſenſum, neceſſe utiqve eſt, tàm negans ſeu contradicens, ſuæ ſententiæ parallela oſtendere poſſit loca, qvam affirmans ſuæ aſſertioni iis fidem adſtruxit; ac utrinqve paralleliſmis ſuis *certas* ineſſe *rationes tertii* monſtret, ſecundùm interpretativæ S. dictamen & Praxin.

§. 29. Verum enimverò, qvùm tale Exemplum, qvale noſtrum (ſuis interioribus conditionibus), in contrarium nunqvam afferant Adverſæ ſententiæ fautores, nec vel unicum poſſint, ſed ſemper alienis & planè diſſimilibus ſe fruſtrà fatigent; poſſemus eoſdem prorſus ſilentio tranſire, vel neglectu componere, niſi omnia etiam leviora, (qvæ ſuis Autoribus ſæpè videntur firmiſſima), hâc occaſione ita expendere ſtatuiſſemus, ut omnem contradicentibus juſtam θεόφασιν ereptam fore, cum DEO confidamus. Igitur (α) in genere *objiciunt* nonnulli cum Kimchio (f) & *Cl. Riveto* (g) particulam אֶת non ſemper eſſe notam Accuſativi. Hæc enim manifeſtò fluit ex R. Kimchi objectionibus, & Cl. Riveti verbis, qvando ait: *Certum eſt particulam* אֶת, *ut plurimum eſſe notam Accuſativi casûs, qvem verba Tranſitiva regunt. Sed tamen accipi non rarò, pro à, ex, de, & cum, præpoſitionibus, & probant Grammatici, & Exempla adferunt ex Scriptura* &c. Sed *reſp.* Qvis verò ita crudè hoc unqvam dixit aut voluit, *partic.* אֶת *ſemper notare Accuſativum?* Nonnè expreſsè centies conſtat, id ſolummodò affirmari nobis de tali poſitu אֶת, qvando extat poſt verbum tranſitivum, ſ. activum, & mani-

(f) *allegante Dn. D. Haberk. Synt. II. p. 163-165.* (g) *Riveto Exerc. 42. pag. 869. col. 1.*

manifestò constructur cum objecto illius actionis, ceu hic fieri constat è *sup.* §. 11. & inf. evidentiùs patescet, ubi ad Parallela adversariis prætensa respondebimus.

§. 30. (β) In specie *objiciunt* I. qvod partic. את sæpè sit nota *Nominativi*, ut iterum R. D. Kimchi (h). Sed *respondemus*, id tantùm penes verbum Passivum procedere, nunqvam penes Activum, qvale hîc est: nec proindè ad rhombum qvicqvam facere.

§. 31. II. *Contendunt* alii, particulam illam potiùs esse notam *Genitivi*. Sed *audiant* & hi vel ipsummet Sixtinum; (i) *Hanc Versionem*, ait, (per Genit.) *qvî excusem, NB non invenio. Ubi enim auditum vel lectum est,* את *Genitivi casus Articulum esse? Nec est*, qvòd *regerant* verba memoriæ & oblivionis, qvæ plerumqve apud Hebr. cum את constructa, sed ap. Latinos recipiunt Genitivum. Resp. enim, à Lingvæ Latinæ ad Hebrææ Lingvæ Genitivum argumentari, nimis ἀπροσδιόνυσον esse, patet ex Cl. *Buxtorff. Thesauro.* (k)

§. 32. Igitur III. *Obtendunt* alii, ut *Calvinus* & *Pareus* (l) את hîc esse notam *Dativi*, atqve sic explicand. esse: *Acqvisitivi Virum DOMINO, qvasi Mater Heva sibi gratulata sit de nato Filio, eumqve DEO, tanqvam generis sui primitas offerat.* Verùm *Resp.* Id æqvè absurdè dici, ac si locum super. prorsus similem *Gen. 26, 34. Et accepit* (Esau sc.) *Uxorem*, qvam offerret יְהוּדִית Judithæ, i. e. אֶת-Judithæ (primitias fortè matrimonii)? ἄλογον. Probationis verò affertur loco *Levit. 16, 15.* וְעָשָׂה אֶת־דָּמוֹ כַּאֲשֶׁר עָשָׂה לְדַם הַפָּר *Et faciet* (sec. Vers. Oper. Πολυγλ.) *sangvinem ejus, secundum qvod fecit sangvini juvenci*; vel sec. *Pareum* (m) *Et faciet sangvini*, vel *de*, vel *cum sangvine ejus, sicut fecit sangvini vituli*

(h) *citante Haberk. l. c.* (i) *Antib. B. p. 233.* (k) *Lib. II. c. 12. n. 3.*
(l) *Calvin. Orthod. p. 154.* (m) *ibidem.*

vituli: ad id *resp.* præterqvam, qvod hi à suismet sectariis *Sixtino* & *Riveto* deserantur, nisi & destruantur, (imprimis verò à *Drusio* (n), qvi ait; *Minus se mihi probat illud, ut sit* את *pro* ל, *quasi* לַיהוָה *Domino*); qvæ insuper urget necessitas, ut à verbo עָשָׂה, qvod hîc tantùm modum agendi seu procedendi, minimè productivum ejus influxum, notat, (qvamobrem & cum Dativo לָכֶם mox construitur, & German. Er soll mit seinem Blute thun NB wie Er &c.), inferre velint similem rationem adeò dissimilis Exempli, sc. verbi cum objecto actionis suæ constructi, ceu ex se clarum est, & infrà porrò patebit? Ad alterum pariter Locum *1. Sam. 22, 14.* וַיַּעַן אֲחִימֶלֶךְ אֶת־הַמֶּלֶךְ *Et respondit Achimelech τῷ Regi. Resp.* Verbum illud non est activum, qvale nostrum, sed neutrum, de cujus constructione cum את nulla est qvæstio. *Conf. Cl. Buxt. Gramm.* (o)

§. 33. Qvæ IV. ad adversa parte afferuntur porrò hîc pro *Ablativi* Expositione per *Cum*, illa dupliciter possunt considerari; *Vel* enim (α) *Ablativô illô τῷ* אֶת per *Cum* exponendi, inferre volunt *Causam sociam*, uti R. Salomon qvi in h. l. ita scribit: את ה' כמו עם ה' כשברא אותי ואישי לברו בראנו אבל בזה שותפים אנו עמו id est: Eth Adonai, *qvasi dixisset*, im Adonai, i e. *cum Domino; qvando me & maritum meum creabat, solus creabat nos: At in hôc cooperati sumus ei.* Hinc ajunt in hominis generatione, tres concurrere, *Deum, Patrem, & Matrem.* Sic Michlal Jophi, קנתיו עם השם כי הוא שם בו חלקו ונפח נשמה בו i. e. *Acqvisivi eum cum Domino, nam ipse partem suam addidit, inspirando ei halitum.* At *Resp.* talis causa socia hic nullum habet locum, *cum Societas non sit, nisi inter pares ordine vel gradu*; qvod de Deô & Evâ nullatenus dici potest. Et huc igitur

(n) *Not. ad h. l.* (o) *Lib. II. c. 12.*

igitur referimus illa loca, qvæ Adversarii nobis obtrudunt pro parallelis nostro loco controverso; qvæ insuper & neutraliter exponenda rectiꝰ ultrò apparent, nim. הִקַּע אֶת־אָחָיו *fixit tentoria cum fratribus, qvasi* (dicere liceat) *Tabernaculavit.* Sic *Gen. 43, 31.* לֶאֱכֹל אֶת־הָעִבְרִים לֶחֶם *Ad vescendum cum Hebræis cibô:* nam *vesci, pasci*, vel *edere*, propriè est Animalis Actio immanens, adeoqve non transitiva, nec igitur pro contrario exemplô facit. Sic *Ex. 1, 1. venerunt in Ægyptum* אֵת *cum Jacobô.* Sic & alia, ut *Gen. 5, 22, 24. c. 69.* Ubi omnia sunt Neutra, cum Nos Activum habeamus h.l. & insuper illa qvoq; sæpè Neutra admittunt Expositionem illius אֵת per Notam Accusativi, qvo minus necessaria sit expositio eorum per *Cum*, ceu tale qvid etiam in aliis linguis obtinet; ut, vivere *Curios* vel *Bacchanalia:* sic & ambulare אֵת אֱלֹהִים *cum Domino* i. e. Dominum, *qvasi innuatur, eum studuisse imitari Deum*, ut *B. Luthero* placet. De qvô plur. *v. Schindl. Lexic.* (p)

§. 34. Vel (β) eôdem *Ablativô* τοῦ אֵת per *cum* exponendi, intelligi volunt *Causæ supremæ principalem influxum*, qvem aliàs *per auxilium Divinum, bonô cum Deo*, ξὺν Θεῷ exprimere solemus, qvam & expositionem præfert *Clar. Rivetus* (q) & *Sixtinus* (r), qvasi *favore ac doni DEI*, pro qvô firmandô etiam hoc facere putat Rivetus, qvòd sanctæ mulieres, posteà Evam imitantes, Deo adscripserint benedictionem partus, ut cùm *Gen. 29 32.* Lea ait; רָאָה יְהוָה בְּעָנְיִי *Vidit Deus afflictionem meam*; & vers. 33. *Audivit Dominus, qvia despicior.* & vers. 35. הַפַּעַם אוֹדֶה אֶת־יְהוָה *Hac vice* (nunc) *laudabo Dominum*, &c.

§. 35. Verùm Respond. (1) Negando prorsus, illam formulam σὺν Θεῷ *auxiliante Deo* &c. unqvam Hebræis exprimi per אֵת־יְהוָה (ceu nullo planè exemplô probare adver-

(p) *Lex. Pentagl. p. 138. 139.* (q) *Exerc. 42 p. 169. col. 2.* (r) *Antib. B. p. 235.*

adversarii valebunt), sed semper talia Scriptura effert vel per יְהוָה, vel בֵּאלֹהִים, vel עִם אֱלֹהִים, ceu patet *Psal.60,13. Ps.108,13. Hos.1,8. Jes.45,17. 1.Sam.14,45. Devt.33. versu ult. & alibi.* Excipit *Drusius*, & pro eô (s) *Sixtinus*, utiqve talem locutionem *cum DEO* i. e. *Deo auxiliante & opitulante*, Ebræis notam esse, & adducit Locum *1. Sam.14,45.* עִם אֱלֹהִים *cum Deo fecit hodie.* Sed qvis non videt, qvàm indigna hæc tantis Viris sit *exceptio?* Non reqvirimus את יהוה, illi opponunt עם אלהים, scilic. qværentibus nobis de *barbâ Caiphæ*, opponunt illi digitos *Adonibesek*, qvibus tamen accuratè rem tetigisse videri volunt, nimir. כנתן אצבע בעין *sicut indens digitum in oculos*, qvod diverbio Hebræi dicunt. (2) Adducta illa Leæ εὐχαριστικὴ, qvæ probationis loco suprà adduxit *Rivetus*, multò aliter se habent, qvàm hæc Evæ, ut præsentis loci nec *normam*, nec *analogiam* præstent. Aliæ etiam utrobiqve sunt *Circumstantiæ, qvæ ut factum mutant, ita ut mentem prositumqve dicentium*, ut meritò respondet, *Dn. D. Waltherus.* (t) Deniqve (3) absurdum est & ἀσύζαλον, Evam de acqvisitô lamentabili filiô, (si id intenderit ipsa nomine impositô *Kajini*, ut qvidem vult *Lud. de Dieu* (u) qvasi sit à קִנִּיתִי, קָנִיתִי), jubilare, qvod *cum Deo*, vel ut alii, *à Deo*, sit *acqvisitus.* Aut si vel maximè nec illud intendatur, sed à קָנָה illum קַיִן qvis dictum velit, tamen vel hoc etiam parùm probabile est, qvod *à Deo* se habere prolem, jactare voluerit Eva, (qvasi aliæ Matres aliunde fortè); qvis enim dubitet? qvis nesciat? à Deo liberos esse. Qvali propriâ igitur ἐπιλύσει sensum Scripturæ torqvere, non solùm præter, sed contra, Parallelorum seu Exemplorum inductionem est.

§. 36. V. Ab his igitur Præsidiis omnibus dejecti

(s) *Antib. B. p. 233.* (t) *Offic. Bibl. p. 684.* (u) *Animadvers. ad h. l. p. 13.*

Adversarii, confugiunt tandem cum *Junio*, *Tremellio*, *Piscat.* (x) aliisqve ad Ellipsin תֵּת, atq; ita אֶת putant esse pro מֵאֵת, & vertendum אֵת יהוה *à Jehovah*; sicut fiat *Gen. 44, 4. & Devt. 34, 1.* Sed *Resp.* (1) Negando, Ellipsin esse in his locis citatis. Nam priori loc. *Gen. 44, 4.* וַיֵּצְאוּ אֵת־הָעִיר *Exierunt urbem*, Constructio תֵּת אֵת fit cum verbo Neutro, qvod cum eô in Accusativo etiam casu citra Ellipsin exponi potest, *Exierunt urbem* (ceu versio operis πολυγλ. habet), vel *exierunt urbe*. Sic pariter alterô l. *Devt. 34, 1.* non est *Ellipsis*, sed illud אֵת־גִּלְעָד vertendum est, (non *à Gileade*, ut *Junius & Tremellius*, sed) *Gileadem*, uti rectè Opus πολύγλωττον; qvod ipsemet etiam *Sixtinus* (aliàs contrarius hîc nobis) agnoscit *in Antib. B.* (y), ubi ob id fusè refellit Junium suum ad superiora loca provocantem. *Resp.* (2) cum *Dn. D. Helvico* (z) & *Cl. Polo* (a), si vel maximè Ellipsin in hisce duobus locis de abundanti concederemus, ideóne & alterò nostrô locô deserenda foret planissima & perpetua penes Activum significatio in Accusativo Casu, & hæc conformanda seu torqvenda potiùs ad aliorum locorum Ellipticam? ἄνω ποταμῶν τγτόγε! Aliis pro *Ellipsi* allegatur locus *1. Reg. 18, 32.* *At* nec ibi *Ellipsis* est, sed geminus Accusativus Hebræo more, *Ædificavit* אֵת־הָאֲבָנִים מִזְבֵּחַ *lapides (in) altare* vel *altare:* sicut Latini dicunt, *Creare Carolum Regem*, vel *in Regem*, (si Latini ita dicant). Qvod si verò hîc aliis magis placeat solenne suum *Cum* dicimus æq; absonum fore, si vertant, *Ædificavit cum lapidibus altare*, ac *cum altari lapides*; qvùm Materiam per *ex*, non per *cum*, exprimi usus ferat. *Piscator* (b) pro Ellipsi eâdem affert locum

(x) *ad h. l. Conf. Par. in Gen. 4. p. 613. 616.* (x) *Antib. Bibl. p. 233.* (z) *in Diatrib. de Desiderio Evæ.* (a) *in Incomparabili Criticæ selectæ Vol. 1.* (*qvod jam Londini prodiit, ejusq; reliqv. adhuc sub prælo sudat*), *Part. 1. f. 53.* (b) *Not. in h. l.*

locum *Jer. 15, 19. In eundo ipsum* אֵת־יִרְקָרְהוּ; de qvo *Sixtinus* (c), *hunc locum majus pondus habere*, (qvàm præced. scil.) *qvia & LXX.* ωδὲ Σεδεκίᾳ, *& Junius à Zedekiâ verterint, & sic* אֵת־ *acceperint pro* מֵאֵת־. Verùm nec hunc locum ullum pondus habere, aut ullatenùs inferre Ellipsin, patet ex inspectione textus, qvi clarissimè monstrat, אֵת־ vertendum esse per *Cum*, (uti & πολυγλ. Tigurini, & Castalio verterunt), neqve hujus loci esse, ostendit data superiùs responsio *de Constructione verbi Neutrius, eundi*: Versio igitur LXX & Junius minùs rectè exponentes per *Ellipsin*, nihil præjudicant alteri expositioni Activi per Accusatinum in nostro loco. Deniqve *R. D. Kimchi* (d) allegat pro eâdem *Ellipsi*, locum *Gen 49, 25.* מֵאֵל אָבִיךָ וְיַעְזְרֶךָּ וְאֵת שַׁדַּי וִיבָרְכֶךָּ & vertendum esse putat, *à Deo patris tui, & adjuvabit te; & ab Omnipotente, & benedicet tibi*, (uti & Opus πολυγλ.) Sed *Resp.* (1) non planè necesse esse, ut per *Ellipsin* τοῦ מ, illud וְאֵת־שַׁדַּי compleatur; cùm non minùs rectè exponi possit in Accusat. *& omnipotentem* (subintellectô, *si invoces* vel *similî*). (2) Etiamsi hic esset Ellipsis τοῦ מ, illud tamen expressè suppleretur è præcedente מֵאֵל; qvale verô nihil in nostro loco.

§. 37. Qvi VI. tandem cum *Kimchiô* אֵת־ pro אֶל־ positum volunt, nimis crassâ perversione ac detorsione, non merentur responsionem; nec ea loca, qvæ probationis ergò hîc cumulant, qvicqvam inferunt, qvod solvi mereatur. Namqve ut rectè ait *Dn. D. Helvicus* (e), *Hæc sententia nihil juvat adversarios: cùm planum sit,* אֵת־ *non posse hîc accipi pro* אֶל־; Qvis enim qvæsò sensus, *Acqvisivi Virum* אֵת־יְהוָה *ad Dominum?*

(c) *Antib. B. p. 233.* (d) *citante Haberk. Synt. Theol. II. Diss. VIII. pag. 146.*
(e) *Diatrib. de Desider. Evæ.*

§. 38. Atqve ita vidimus, tot Huctuāntium ſententiarum Explicationes, ac pro iis malè citata loca, qvibus ſe hactenus multi fruſtrà fatigârunt, qvin imò ſe mutuò deſtruxerunt; ut omni ſuo molimine deprehendantur ex Vet. Hebr. Verbô, non niſi טוחין הרבה ומוציאין קמעא *molentes multum, ſed educentes parum*; nec immeritò igitur *Marcus Marinius Brixianus* (f) monuerit, *Locum hunc adhûc eſſe illuſtrandum*, an *Virum DOMINUM*, an *à DOMINO?*

Argumentô V.

§. 39. Evincit idem *Infirmitas contrariarum Rationum & Autoritatum.* Et qvidem (I) *Rationes* ſeu *Objectiones*, qvas contra ſententiam noſtram urgent, vel *verba* Textus originarii ſpectant, vel *rem* ipſam.

(α) *Verba* eorumqve poſitum & expoſitionem ſolicitant (præter illos, qvos ſuprà Argumentô IV. adduximus) etiam illi, qvi (1.) adverſus ſententiam noſtram contendunt, *non poſſe eam eſſe verborum mentem*, qvia ſic dicendum fuiſſet קָנִיתִי אֶת־אִישׁ אֶת־יְהוָה geminatô אֶת, ut vult *Rivetus* (g), *& acriter urget Druſius* (h), allegante *Sixtino* (i); *qvi tamen celare non vult* (ſc. evidentiâ cogente vel invitum) *non adeò perpetuum eſſe hunc loqvendi modum, ut non admittat exceptionem*, & proindè ultrô ſubjicit *locum Druſii opinioni contrarium*, nimirum *Ezech. 4, 1.* Sed addere potuiſſet & reliqva, qvæ nos *ſuper.* adduximus §. 11. *aliaqvè plurima*. Qvomodo ſanè magna nos docent Exempla, qvid magnis interdum Nominibus & Autoritatibus ſit tribuendum, dum rationibus non fulciuntur. Qvamobrem & hoc *Druſii* atqve *Riveti* falſum poſtulatum potiùs, qvàm Argumentum

(f) *Arca Noëpart. II. fol. 128. col. 3.* (g) *Exerc. 42. p. 169.* (h) *ad h. l.* (i) *Antib. B. p. 234. 235.*

tum prætermittimus, cùm imprimis ipſimet adverſæ ſententiæ Patroni id rejiciant, ut vidimus *ſuper. ex Sixt. l.c.*

§. 40. (2) Expendamus ergò potiùs aliud χρησφύγετον, & qvidem *Sixtini*, qvi poſt alia omnia l.c. (k) ait: *Illud puto* PLUSCULUM *roboris habiturum: ſi Eva reſpexiſſet ad promiſſionem illam de ſemine, operæ pretium fuiſſet, ſi, non Pronomen* הַזֹּאת vel הַהוּא *Virum hunc, vel Virum illum, ſaltim articulum* ה *voci* אִישׁ *præfixiſſet* קָנִיתִי הָאִישׁ τὸν ἄνδρα: *Nunc verò nudè ponitur ea vox, ut nullus* VIDEATUR *eſſe ad promiſſionem illam Evangelicam reſpectus.* Sed qvàm trepidus ac incertus, hoc novum miſceat μάλαγμα *Sixtinus*, propriæ ſententiæ tantò minùs tamen fidens, qvò magis nullum in eâ videt rationis robur, prodit ipſe ultrò diminutivô ſuô PLUSCULUM: & rectè ſanè; nam PLUS ſi dixiſſet, PLUSCULUM aberrâſſet. Deinde dicit, VIDETUR. At cur VIDETUR ipſi, cujus nullam neceſſitatem vel ipſe videt, vel alius qvisqvam monſtrat? Contrarium enim evincunt noſtra loca §. 11. adducta. Mittimus ergò hoc & luſtramus, qvæ non magis *videbuntur* firma.

§. 41. (3) Alii igitur ſolicitant Accentum ֣ *Tiphcham* ſubdiſtinctivum *Regem minorem*, velut qvi diſtinguat priùs ſubſtantivum אִישׁ, à poſteriori את יהוה, qvò minùs hic permitti poſſit Appoſitio. Verùm *Reſp.* tantùm hîc abeſſe, Accentus *Tiphcha* obſtet appoſitioni, ut potiùs eandem luculenter confirmet per emphaticam iterationem prioris ſubſtantivi ad fortiorem appoſitionis Syntaxin. Ut enim in multis aliis Scripturæ locis etiam ſyntacticè cohærentes voces, nihilominus certis conditionibus non ſolùm ſubdividuntur ſuâ qvacunqve proportione, qvam Spiritui S. non eſſe nullam, etiamſi aliqvando imperitioribus & inaſſvetis ſenſibus levior videri poſſit,

(k) *Antib. B. p. 235.*

sit, fusè demonstrat Dn. D. Wasmuth. *in Instit. Accent.* (l) & *Vindiciis* (m); sed etiam in Emphaticis Iterationibus designandis, termini distinctivi transpositio adhibetur, de qvâ in *Cit. Instit. Accent. Regul. 13.*): sic qvoqve hoc loco, in efferendâ ἐμφατικωτέρως Evæ matris votivâ Exclamatione, Accentus ֒ *Tiphcha* emphaticâ transpositione termini distinctivi, (cùm extra eam, stetisset necessariò in voce קָנִיתִי, ceu millenis exemplis docet cit. *Instit. Accentuatoria*) (n), illam causat iterationem prioris substantivi, (unà cum verbô suô), ut fortiori etiam appositione cum seqv. Substantivo construatur: ceu locum planè geminum vidimus suprà ex *Gen. 26,34.* de *Esavo*, וַיִּקַּח אִשָּׁה אֶת־יְהוּדִית *Et duxit uxorem* | (*duxit*, inqvam *uxorem*, *mille amaritudines & cordolia causaturam parentibus*, ceu seqv. vers. 35. expressè dicitur) *την Juditham:* Ubi idem prorsus præstat Paschta ante Sakephkatonum, qvod in nostro loco Genes. *Tiphcha* ante Sillukum, ceu evidenter patet ex Tab. I. in Instit. Acc. ad p. 95.

§. 42. Ultimum deniqve Adversariorum ῥιψασπίδων (*arma abjicientium*), ubi actum de victoriâ vident, refugium est, contemptus pro clypeo obversus, (solenne ferè multorum hodiè desperantium de veritatis evictione asylum), qvo proclamant, *non esse* nisi *Grammaticale Argumentum*, seu *Bellum Grammaticale*, &c. Audiamus tamen nostros ἐξ ἐναντίας, de Elementis Veritatis Divinæ nimis humanè blatientes. Sic enim *Pareus* (o) contra Hunnium; *Ratio ejus* (Hunnii) *tota est* (sc. asserendi θεάνθρωπον ex h. l.) *qvod dicit, Articulum* אֵת *voci Jhovæ præpositum, esse notam non Dativi, sed Accusativi*; & subjicit: *Qvàm autem hæc sint*

(l) *In Instit. Accent. à p. 24-27.* (m) *Part. II. c. 2. Obj. III.* (n) *Reg. 2. M. II. B. & à pag. 95-105.* (o) *Calvino Orthod. p. 145.*

sint frivola &c. Deinde pergit (p) *Grammatico Argumento adversarii* (Hunnii) *objeceram* &c. & mox: *Ad Elementarios Lingvæ Hebrææ audaciter provocat* (Hunnius) &c. sic Comment. in Gen. (q) *Tantæ rei* (θεανθρωπίας nimirum probandæ) *NIMIS INFIRMUM Argumentum est ex Grammatica &c.* Ita qvoqve *Rivetus* (r): *Neqve ullo argumento præterqvàm GRAMMATICO sententiam suam* (adversarii) *possunt fulcire, qvod qvàm leve sit, ex eo patet &c.* Hæc sunt illa ἀθεολογούμενα ut olim, sic indies magis à certitudine Hebræi Fontis ad Versionem & Commentorum propriorum incertos rivulos deflectentium, unde infirma tandem simulant, qvæ tamen ἀπρόσκοπα potiùs, ipsorum formidat infirmitas. Qvô nomine pridem vapulant suô meritô *Gretserus Lojolita* à Dn. D. *Danhaverô* (s) Pontificii à *Cl. Hottingerô* (t) nec minùs *D. Conringius* cum Parisiensibus suis *Journalistis* à D. *Wasmuthô nostrô*, Vindice talium laudatissimô. (u) Post qvos igitur & nos respondemus cum *Megalandrô B. Lutherô* (x): *Qvid aliud est Theologia, qvàm Grammatica in Spiritus S. verbis occupata?* & cum Dn. D. *Waltherô* (y): *Theologia nostra maximam partem est Grammaticalis, & non solùm vocum ἐμφάσει gaudet, sed & conjunctione, ut argumenta firmiora ac tutiora peti non possint, qvàm qvæ ex Grammatica & loqvendi more à Spiritu S. usurpato arcessuntur.* Qvomodo pluribus Rationibus & Autoritatibus, Argumentorum è *Grammaticâ Sacrâ* petitorum soliditas & invictum robur demonstrari posset, si præsentium pagellarum permitteret angustia.

§. 43. (β) Verba igitur, cum videant stare immo-

(p) *ib. p. 155.* (q) *p. 640, 641.* (r) *Exerc. 42. p. 170. Col. 1.* (s) *in Hermeneut. Sacr. p. 110. seqq.* (t) *in Analectis & Smegm. Orient. passim.* (u) *in Programm. & Anti-Conringiô præcipuè cap. III. Paradoxo XII, XIII, XIV.* (x) *Conf. qvæ habet Dn. D. Wasmuth. Progr. p. 4. 5.* (y) *Offic. Bibl. p. 680.*

ta, οἱ ἐξ ἐναντίας, Rem ipsam variis argutiolis conantur labefactare, qvas igitur pariter, qvâ fieri potest brevitate, ad Autores suos relegabimus. *Objiciunt* nimirum

(1) *Non ex Kajino. sed ex Setho Messiam speratum fuisse nasciturum.* Sed *Resp.* cum *B. Gerh.* (z) *Illud demum post interfectum à Kajino Abelem fuisse revelatum:* nihil igitur contrà præsentem locum facit.

(2) Objiciunt, *sciviſſe Evam, Kajinum esse Semen viri, Ergò non potuisse statuere, eum esse Messiam, qvem ex Virgine nasciturum noverat*, (qvod Argumentum *Parei, Drusii, & Calixti* fusè profligat Dn. D. *Calov.* p. 58. it. D. *Haberk.* p. 166.): *Resp.* igitur breviter, in eò tantùm aberrâsse Evam matrem, qvod putârit semet fore Matrem Messiæ, aut saltem non satis considerarit (in istô qvidem præcipiti Voto) Messiam non secundùm communem Naturæ cursum nasciturum; interim de eô hunc verum habuit sensum, qvod verus Homo & Deus esset futurus Messias. Undè apprimè *B. Gerh.* (a) *Semen mulieris Messiam fore audiverat Eva, Virginis filium fore, tunc adhuc ignorabat, vel certè non cogitabat.*

§. 44. Cæterùm aliqvantum hunc Errorem Matris Evæ (in hypothesi, non thesi) dum ultrò concessum à nobis audiunt adversarii; in toto statim rei argumento sibi hebam jam porrectam putantes, eô abutuntur ad planè convellendum hunc sensum, qvô vi appositionis *Virum τὸν JHOVAH* Messiam θεάνθρωπον Eva (è Prot-Evang. Paradisiaco) crediderit, & hôc pactô tandem *Classicum hunc locum nobis planè è manibus extorqvere nituntur*, (qvod *Diabolum solicitè agere*, suprà §. 2. audivimus *D. Haberkornium*) Hinc de doctô qvodam Rabbino, *Dn. D. Müllerus* (b) recensens,

(z) *Comm. in Gen. p. 130.* (a) *ibid. p. 129.* (b) *Judaism. p. 127.*

censens, wie daß die Jüden über diesen Text mächtig können eingetrieben werden/und nicht wissen/wo sie NB mit den Eth Jehovah hinauß sollen/ ait; Ein Rabbi hat in einem Gespräch mir gestehen müssen / daß es ein Accusativus were / aber geantwortet (En! ultimum ad Errorem refugium), daß Eva alhier geirret habe. Sic qvoqve è Calvinianis *Rivetus* (c) ait: *Si Evæ hoc mysterium incarnationis cognitum fuerit, non potuit etiam ignorare, tale id esse debere, ut mulier sine viri operâ conciperet. Itaqve nunqvàm ita hallucinata fuisset* &c. Ita & *Sixtinus* ab *Amama* (d) qvi aliàs Drusii argumenta omnia (utut vindex ejus) ultrò rejecit, tamen *illud gravissimum esse incommodum* censet, *qvô hæc* (nostra) *sententia prematur, qvòd cognoverit Eva, Semen illud fore Semen mulieris, id qvod disertè ei erat revelatum: si tàm turpiter*, ait, *decepta fuit in Individuo, ignorans illud mysterium* (*ex muliere tantùm eum nasciturum*), *annon facilè erit* (qvasi verò id rectà indè seqvatur), *Arriano & Judæo dicere, eam qvoq; in eô fuisse deceptam, qvod Messiam θεάνθρωπον fore crediderit* &c. At non aliud hîc qværebatur, qvàm, *num Evam sic credidisse verba nostri loci evincant.* Qvod verò in illa fide suâ minimè sit decepta, aliundè probationis sat habet.

§. 45. Igitur (I) Respondemus hîc, qvod D. Müllerus Judæo suo *loc. super. citat.* dem zur Antwort gegeben worden/daß Eva zwar geirret NB in der Zeit/in dem sie nit gewust/ daß es noch so lange biß auf Meßiæ Zukunfft were; dergleichen NB in der Person/in dem sie den Kajin dafür angesehen. Aber NB in den Glaubens-Bekäntnis hat sie nicht geirret/dieweil der HErr Meßias/ wie alhier/ also auch an andern Orthen der Schrifft JHOVAH genennet wird/wie im Capitel von Christi wahrer Gottheit erwiesen. So lassen wir uns demnach

(c) *Exerc. 42. p. 169. Col. 2.* (d) *In Antib. Bibl. p. 234. 235.*

nach NB nicht treiben von dem/ was die Arth der Hebreischen Sprache alhie giebet &c.

§. 46. *Resp.* 2. qvod *Hunnius* (e) Calvino & Pareo suo: *Erravit* (Eva) *tantùm in circumstantiâ individui, dum natô Cainô præ lætitiâ se jamjam Messiam possidere censuit, sed melius edocta diversum dehinc deprehendit. Sic anteqvam Christus jam natus manifestaretur Israëli, fuerunt certè multi, qvi de Messiâ rectissimè senserunt: qvantumvis adhûc ignorarent, Mariæ filium Jesum esse illum Messiam, donec partim Christi, partim Johannis mysterio de hac qvoqve circumstantiâ penitus sunt edocti, sicut de Nathanaële, Philippo, Petrô, Andreâ, Joh. 1. legitur. Qvare non in ipsa doctrina, sed in* NB *circumstantia individui erat error, qvi facilè poterat emendari.*

§. 47. *Resp.* 3. qvod *D. Walther.* Calvinianis suis (f): *Sciebat Eva, semen Mulieris fore Messiam, & qvoniam ipsa à serpente esset seducta, inqve actu judiciario serpenti opposita &* הָאִשָּׁה *vocata, indè conjecit, se in individuo matrem futuram Messiæ. De qvo & hoc certò tenebat, eundem tanqvam Diaboli Contritorem verum fore JHOVAM.* Pergit paulò post: (g) *Apud Evam virginitatis nulla hîc consideratio fuit.* Et B. D. Gerhardus (h): *Non cogitavit Eva de eo* (qvod igitur spem & desiderium ipsius impedire non potuit): *Si in Patriarchali Ecclesiâ tam fuisset perspicuum, Messiam â Virgine conceptum iri, non putasset Lamechus, filium suum Noachum Messiam. Imò post Esaiæ Vaticinium, ne qvidem constabat communiter, Messiam fore tantùm Mulieris filium; aliàs enim Johannem Baptistam non habuisset pro Messia Synedrium Hierosolymitanum &c.*

§. 48. Resp. 4. Admirandam esse eorum ἀσυλλογιστίαν, qvi hoc qvasi incommodum contra nostram expositionem temerè adeò urgent. Nam si Evæ illud effatum à nobis

(e) *Prælect. in Gen. p. 121,122.* (f) *Offic. Bibl. p. 679.* (g) *ib. p. 680.* (h) *Com. in Gen. p. 129.*

nobis allegaretur, pro *asserendâ ipsâ illâ* Messiæ aut Matris ejus *verâ personâ*, aut *justô tempore*, jam liceret Judæi vel Calvinianis excipere, illud Argumentum nostrum ab Evæ affirmatione non procedere, siqvidem illa nobis farentibus, eatenus errans, decepta sit in verus circumstantiis. Verùm qvis vel micam salis habens id voluit unqvam, aut argumentari sic instituit? Qvin potiùs pro eô à cordatis Theologis hic locus allegatur, qvòd fidelibus V. T. (exemplô hîc exultantis Evæ) *promissus*, (qvoad rem) *agnitus, speratus, & fide salvificâ apprehensus fuerit talis Messias, qvi esset* θεάνθρωπος; siqvidem hûc tendit illud Apostoli *Actor. 15, 11.* Διὰ τῆς χάριτος κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ πιστεύομεν σωθῆναι, καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι. Wir glauben &c. NB Gleicher weise/ wie auch Sie (unsere Väter). Nam cap. IV. 12. Es ist in keinem andern Heyl &c. Pro hac, inqvam, uniformi fide fidelium omnium Vet. & Novi Test. AGNITAE in utroqve DIVINITATIS Messiæ, NB per *Exempla fidelium* probandâ, (contra Judæos, Arianos, Photinianos aliosqve Novatores) hoc qvoqve Evæ dictum & ferè præ aliis plurimum militat, ut videbimus infrà Argument. VI.

§. 49. *Respond.* ulterius 5. *in specie* ad illa loca superiora *è Rivetô & Sixtinô, Evam non potuisse ita hallucinari, ut ignoraret, qvòd Messias, semen Mulieris seu Virginis esset futurum*, Satis fuisse Evæ, nosse rem, qvod hîc verba ejus loqvuntur, & qvod palmarium erat, scilic. *Messiam* θεάνθρωπον, etiamsi de circumstantiis *temporis*, *Messiam dividui*, aut *Virginis matris* vel non cogitaret satis vel non æqvè sciret. Rectè enim D. Varenius: (*) *Infantia Ecclesiæ poposcit etiam simplicitatem doctr.næ, seu* τὰ στοιχεῖα NB τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ θεοῦ; *nos verò* τερεὰν τροφὴν & διδηττόμενα! *Clarior deinde Lux Evangelii fuit sub Abrahamo,*

(*) *Comment. in Gen. p. 396.*

hamo, cum è semine NB *propiô*, (Evæ tantùm indefinitè) *promittitur ille, in qvo benedicendæ sint omnes gentes. Mox clarior sub Jacobo; cui in Spiritu manifestatus est* NB *Terminus & certum tempus Messiæ adventuri Gen. 49, 10. Adhuc clarior sub Jesaiâ, qvi qvasi Evangelistæ officio jam fungitur, & disertè* NB *è Virgine nascendum prædixit.* Nam qvod eleganter D. *Haberk.* (i) *sicut Sol non pleno statim jubare exoritur, sed lucem clariorem paulatim emittit, qvô propior fit hæmisphærio nostro: Ita lux Evangelii non omni gradu statim absoluta esse, sed crescere debuit magis magisq, qvò sc. propius accedebat tempus Adventus Christi, usqve dum ipso sole, seu filio DEI jam in carne manifestatô, claritas Novi Test. propria plenissimè effulsit.* Hebr. I. 1.

50. Hos gradus & Incrementa proficientis in plenum diem lucis, dum inconsideratè non æstimant, aut distinguere nolunt adversæ sententiæ Autores, hinc proletarias illas (licet primâ specie plausibiles) injiciunt argutiolas, *qvasi Eva turpiter decepta fuerit*, ut *Sixtinus* loqvitur (k) cum *Pareo* suo (l), *qvodqve pietas suadeat de fide Matris Evæ rectè sentire.* Qvasi verò hoc sit rectiùs *de fide Matris sentire*, si potiùs *eam non confessionem fidei de Messiâ* θεανθρώπῳ *edidisse dicamus, qvàm si concedamus & excusemus, qvòd illam fidem suam ediderit, licet non omnes ejus circumstantias*, (pro conditione simplicis & primùm orientis salutis doctrinæ) *vel satis considerârit præfestini voti gaudiô, vel non æqvè sciverit*, qvoad non ultra *mulieris semen*, id tamen *contriturum Satanæ caput*, revelationis primæ gradus iverat. Qvin imò Eva ipsa illa verba DEI, *de inimicitiâ inter serpentem & mulierem* (sese) *inter semen serpentis, & ejus* (mulieris in judicio stantis) *posita*, trahere qvodammodò in sui applicationem poterat, adeoqve præcipiti votô anticipare de semet & Filio

(i) *Synt. II. p. 188.* (k) *Antib. Bib. p. 235.* (l) *Calv. Orthod. p. 154. 155.*

Filio ſuo, prout *de muliere & ſemine ejus* promiſſionem intelligere potuit, de qvô meritò B. Lutherus ut vidimus ſuprà: §. 19. Sie iſt darumb nicht zuverdencken / daß ſie zu ſehr und frühe geeilet/denn ſie were NB der Sünden und des Todes/ das iſt/ des Teuffels gerne bald loß geweſen.

§. 51. Et cur verò nos, aut qvâ certitudine, ulteriùs fidei aut notitiæ in Eva modum extendamus, qvam Scripturæ divinæ nos præit autoritas? An qvod aliàs non fuerit *vera ejus fides, nec vera Conſolatio?* ut cauſatur *Sixtin. loc. cit.* At hoc eſt præpoſterâ ſapientiâ irrumpere in Oeconomiam Divinæ ſapientiæ, qvæ gradus certos & augmenta ſuarum revelationum diverſiſſima, in V. T. ac Novô, conſtituere voluit, (qvod vel tyronibus Theologiæ notum eſt & ſupra oſtenſum, minimè ob id non clara ſatis eſſe Vaticinia Vet. Teſt. qvod luce clariori & proprioribus verbis radiet Novum.) Proindè implicita fides illud omne qvod non omnes habeat gradus claritudinis Novi Teſtamenti.

tamdiu obvelavit, (non negavit), qvod demum explicata fides revelandum clariùs cognoſcere debuit ſuo tempore. Ut certè magnæ temeritatis & imperitiæ ſit, illam fidem V. Teſtamenti *veram* negare, vel ſolicitare ob id,

§. 52. Deniqve *Reſp. 6.* Vanum igitur ac futile eſſe qvod porrò Calviniani qvidam (teſte *Sixtino*) (m) *urgent incommodum*, qvaſi *facilè ſit Ariano & Judæo dicere, Evam deceptam* (noſtrâmet Confeſſione) *fruſtrà contra illos allegari; qvid roboris ergò hic locus Gen. IV, 1. apud fidei noſtræ adverſarios habere poſſit, conſiderandam nobis eſſe.* Ad hoc jam ſupra eſt reſponſum, Evæ Errorem in *Perſona* & *Tempore*, non tollere ejus veram aſſertionem & fidem NB *in re*, ſc.

Divi-

(m) *Antib. B. p. 235.*

Divinit. Meſſiæ (agnitâ per Prot-Evangel. Paradiſ.), qvæ ex aliis pluribus qvidem Scripturæ locis ſubſidia accipit, ſed & hoc ipsô qvoqve locô *qvoad rem*, per irrefragabilem notam Accuſativi, non minùs probatur, qvàm in illis aliis locis per alia Oracula: ita ut illa loca per hunc, & hic per illa, mutuò juventur, ex perpetuô talium collationum principiô Hermeneuticô, qvod omninò Arianum & Judæum ſuis qvodq; momentis planiſſimè ſtringit.

§. 53. Mera ergò glaucomata ſunt & larvæ argutiarum, qvas *Sixtinus* & ejus Duces alii qvidam *Calviniani*, tàm ambitiosè hîc injiciunt, *Non egere Articulum de Chriſti Deitate talibus præſidiis: vel* ut *Pareus* loqvitur, (n) *An non igitur ſubtile eſt, imò inutile, ſub qvovis lapide aurum qvætere & myſterium rimari, ubi nullum ſubeſt &c.* Qvaſi verò jam eviciſſent את יהוה non eſſe hîc Accuſativum caſum, qvi tamen ut luce meridianâ clariùs jam oſtenſus eſt, ita præſidium minimè ficulneum, NB *agnitæ Divinitatis Meſſiæ* in V. T. omninò præſtat. Qvaſi item jam eviciſſent Errorem *in circumſtantiis*, eſſe ſimul errorem *in reipsâ*, qvam tamen ut alia porrò firmant ſcripturæ loca, ſic locus noſter clarè idem per *Accuſat.* ſuum infert. Et ſanè agnoſcimus hîc cum Dn. D. *Walthero* (o) *νοήματα qvædam Satanæ, qvibus* NB *incautos ſubvenire ſatagit, 2. Cor. 2, 10. 11. ut, dum in locis tàm perſpicuis ſuam obtinuerit libidinem, triumphum habiturus ſit paratum in illis, qvæ tàm clara non ſunt. Qvare ſic Myſteria Chriſtianæ Religionis prodere, & impiis Judæis ſuppeditare arma, qvibus ea oppugnent*, NB. *pectoris Chriſtiani factum non eſt. Cernit hæc DEUS VINDEX*, & NB *reqviret juſtô tempore.*

§. 54. Qvem igitur loc. cit. ſubjungit Canonem *Sixtinus*, qvod

(n) *In Calvin. orthod. p. 154.* (o) *Offic. Bibl. p. 681.*

qvod *qvi incerta & ficulnea argumenta pro Apodicticis & firmis obtrudant, non aliâ magis ratione adversarios in Erroribus suis confirment, & labefactent ipsum Articulum probandum*, uti bonum & verissimum in se esse, facilè qvilibet sanus largitur, ita falsissimam & pessimam ej⁹ ad præsens qvidem ζήτημα accommodationem s. applicationem fieri, constantissimè asserimus, ut è suprà dictis liqvidò constat.

§. 55. Cùm ergò nullâ de causâ aut firmâ ullâ ratione adducti, Fontes hîc malè deserant adversæ sententiæ Patroni, neqve valedicere errori suo vel victis lubeat, meritò cum *Chamiero* (p), in illos qvadrare dicimus illud *Galeni*, περὶ τῶν φυσικῶν δυνάμεων: *Qvibus impudentia comes, similes sunt ignavis luctatoribus, qvi dejecti nesciunt manus dare, sed victores cervicibus detinent, qvamvis humi prostrati, eoq; se credunt superiores esse.* Imprimis cum adhûc se efferant, & contra nostram sententiam tantâ concitentur vehementiâ, ut in eâ *Blasphemos nos* arguant, *Christo tribuendo, qvod Eva de Kajino dixerit.* Sed qvis non videt vel palpabilem Errorem? Si enim nos jam, rem omnem post factum ritè noscentes, tribueremus Christo ea, qvæ reipsâ sunt Kajini, & huic ut malo homini revera competunt, aut vice versâ, qvis dubitet de blasphemiâ? Verùm Christum asserere Objectum ardentissimi Voti & præmaturæ spei in Eva Matre, licet errante, tantùm applicatione desiderii sui ad illam Personam; id neqvaqvam est Christo apponere, qvod Kajini est (adeoqve *nec ullatenus blasphemum*), sed potiùs est rem veram vindicare à falsâ applicatione. Atqve ita nullâ adhibitâ vi hoc qvoqve adversariorum Argumentum, ut præcedentia omnia, suâ infirmitate cadit, ruit, jacet.

§. 56. Atqve hæc fuêre Argumenta, qvibus partim nostram sententiam labefactare, suam partim stabilire, conati hactenus sunt adversæ sententiæ fautores; qvos verò evidentiâ tàm Rationum, qvàm Responsionum nostrarum jamtùm convictos certò confidimus. Restat igitur saltem dispiciamus de iis, qvas adhûc,

(II.) Opponunt *Autoritates*, at nonnisi Judæorum nonnullorum & qvorundam Calvinianorum, eorumqve adhuc insuper

(p) *Panstrat. Tom. 1. lib. 13. c. 9. p. 233.*

pugnantium inter sese; sine ullis tamen contra nos rationibus? Dum alii *Targum Onkelos* urgent, alii versionem *Syram*, alii *Arabicam, Samaritanam, Græcam* aut *Latinam*, aut harum aliqvam secutas *Occidentales*. Alii *Chrysostomum* & *Ambrosium* aliter statuentes, alii nonnisi *Commentatores* locô veri sensus praxin tantùm commendantes, *qvod DEO gratiæ sint referendæ ob accepta beneficia &c.* (q), alii deniqve ad *Judæos* nonnullos recentiores, & *Calvinianos* magnô numero contrarium sentientes, provocant.

§. 57. At si ullibi, hîc sanè locum sortitur scitum illud Arabum;

لا تنظر الي من قال بل انظر الي ما قال ۞

Non respiciendum ad eum, qvi dixit, sed ad id, qvod dixit.

Imprimis cum pleriq; horum numerum potius, qvam pondus faciant, & proinde haud eorum stari possit judicio, qvi ipsi ob defectum Argumentorum, (aut certè ea non satis firma), uti alii ab aliis, ita superiùs à nobis in judicium sunt vocati. Hinc sigillatim ad *Targum Onkelos resp.* cum Dn. D. Walthero (r) *Eum tantæ autoritatis non esse &c.* Nam *translationem tentavit, non fontem exaravit*, ex qvô hic redarguitur, errorisq; convincitur. Tùm opponimus ipsi *Jonathanem* veritati Hebrææ propiùs sæpè accedentẽ. *Syram* autem versionem vel nobiscum sentire (qvod probabilius), vel contra nos saltim urgeri non posse, patet, qvod ל non necessariò Dativi casus nota sit, (uti multi, imprimis verò illi omnes, qvi ejus Autoritatem adeò urgent, perperam putant), sed sæpissimè etiam Accusativi, ceu Buxt. (s) & Beveridgius (t) id satis docent. Qvid qvod Manuscripta qvædam Syra versio datur nobiscum prorsus consentiens, allegante magno nostrô Caloviô (u). *Reliqvas* autem Versiones qvod attinet, illarum una omnium errorum origo ducitur è LXX. versione, qvam κατὰ πόδα ferè ubiqve seqvuntur, (certè ex eâ factæ habentur à plerisq; Philologis passim); qvæ igitur versiones omnes h. l. non majoris valoris esse qveunt, qvam cujus est ipsa LXX. de qva plus satis constat (x). Et qvid insuper omnes *versiones* contra talem Textus orig. literam, qvæ Parallelorum

(q) *Rivet. Exerc. 42. p. 170. col. 1.* (r) *Offic. Bibl. p. 683.* (s) *in Gram. Chald. & Syriac p. 20.* (t) *in Grammat. Syriac. p. 20.* (u) *tr. de Fide Vet. p. 56.* (x) *imprimis ex Dn. D. Wasm. Anti-Conr. p. 416-419.*

rum locorum habet firmitudinem, ſine ullô contrariô Exemplô? *Patrum* autem Autoritatem qvi objiciunt, parum Theologicè ſentiunt. Non enim humanâ, ſed divinâ autoritate hîc intendum eſt: & Chryſoſtomum ſæpè erraſſe, utrinq; in confeſſo eſt. Et tandem aliud eſt homileticè & populariter agere, aliud accuratè disqvirere. Chryſoſtomum autem ſæpiùs homiletam magis agere, qvàm diſputatorem, adeò certum eſt, ut ne ullâ indigeat amplius probatione.

Argumentô VI.

§. 58. Arguit idem arcetqve merito contrarium; *adverſæ ſententiæ periculoſitas*, qvam כימטא פרונקא דאשתא *ſicut horror eſt nuncius febris* (ut loqvuntur Hebræorum Magiſtri), ita falſæ profeſſionis, ô ſententiæ certiſſimô indice, prodit Articuli alicujus fidei vel labefactatio vel everſio. Cum enim controverſia exoritur *de Fide veterum*, & imprimis *fidelium mundi Ante-diluviani, in Chriſtum verum Deum & hominem*, deqve ejus *paſſione meritoriâ*, (qvod dubium Novatores nonnulli primi moverunt, & negativam hactenus defendere non erubuêre,) noſter autem locus (aliaq; ejuſdem generis) pro affirmativâ adducitur; id videmus ſtatim acriter ab illis impugnari, variisqve excipi argutiolis, qvò tandem ipſam qvoq; veritatem dogmatis de Chriſti merito, qvod directè non poterant, indirectè ſaltem labefactent, (ſive imprudentes ſive ſcientes hoc ipſum agant). Nam ſi nec divinitas qvidem Meſſiæ in V.T. *fuerit neceſſario nota, credita & intellecta fidelibus*, Exemplô ſc. noſtrô Evæ præclarè explosô, qvantò magis aliis Exemplis eôdem pactô (ceu cum gemitu ſæpè videmus), etiam aliorum mox plurium Articulorum indifferentia ſeqveretur, pari jure viam ſtratura ad illum Samaritaniſmum ſive mangonium Religionum.

§. 59. Qvamobrem neqvaqvam nobis hoc telum adverſus hoſce, (qvin & contra Judæos imprimis, Accuſ. h. l. intelligentes & ultrò concedentes), tàm clarâ in literâ poſitum, ſine urgente neceſſitatis, meris adverſariorum frivolis ſtrophis & tergiverſationibus, è manibus excuti tàm libenter patiamur, niſi graviſſimum ejus aliqvando DEO reddituri ſimus rationem, cùm è piô effatô laudati Dn. D. Waltheri (y), *Myſteria Chriſtianæ religionis ſic prodere, & im-*

(y) *Offic. Bibl. p. 681.*

& impiis Judæis suppeditare arma, quibus ea oppugnent, NB *pectoris Christiani factum non sit.*

§. 60. At cùm hæc altioris sin. indaginis, nec ad nostram, sed Theologicam pertineant Cathedram, sufficiat nobis, illa ἐν χορυφῇσιν saltim attigisse, atq; eadem indicâsse, ne fortè in nos cadat sapient. Hebræor. illùd: *Quare præcipitem te das in profundum maris ut in eô naviges, cum tibi sufficiat de eo sorbitio aquæ paucæ.* Hinc concludimus nostram Disputationem verbis τῦ θεοφόρυ D. Lutheri: (z) da soll es auch bey bleiben. Das sey gnug von dem Spruche / da Heva / oder vielmehr Moses mit den Neuen Testament stimmet / daß dieser Saame des Weibes JEHOVAH sey / und von Jhr und Mose also verstanden / sonst hätten sie es beyde wol anders reden können.

§. 61. Tandem igitur Coronidis loco, ut evidentia sententiæ nostræ clarius pateſcat, totam disputationem includimus huic Syllogismo:

Qvamcumq; sententiam & expositionem (I.) Evincit expressæ literæ originariæ tenor; (II.) Probat contextus, cum præcedentibus non minùs qvàm seqventibus, commoda cohærentia & συνάφεια; (III.) Confirmant Autoritates Judæorum (aliàs adversantium) & Christianorum, imprimis γνησίως Lutheranorum omnium; (IV.) Prodit contradicentium ipsorummet perpetua fluctuatio & collisio; (V.) Evincit infirmitas contrariarum rationum & Autoritatum, & (VI.) Tutam probat adversæ sententiæ periculositas; illa indubitatò est vera, firma & genuina. Atqvi de hac sententia sive expositione nostrâ præsentis loci controversi, *qvod habeat Objectum Messiam* θεάνθρωπον verum est pri⁹, (ceu sex illa Membra totidem argumentis probatam dedimus). Ergò & posterius.

ET DEO SIT LAUS.

(z) *Tom. 8. Jen. Germ. de ult. Dav. p. 158.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-550740-p0049-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-550740-p0050-9

Id 1291

ULB Halle 3
004 936 884

LD 78

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-550740-p0051-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-550740-p0052-0

maximè

A EX-

IONE

RIS,

I.

קניתי

HOVAH:

IGULARIS,

cinianos, Cal-

Novatores

OPITIO,

ifnico,

Aq.

NDA.

iani Meifii,

Buchtæ,

II.